

Statutorum, atque declarationum ei perpetuo conceditur, & concessa declaratur quoad predictam nullitatem, vel injusitiam notoriam, ac etiam quoad spoliati restitutionem usque ad sententiam definitivam, prout juris fuerit procedere omnino teneatur, quod etiam in simili eventu per P. Praesidentem, & Judices causarum facere posse declaramus. Magistri praeterea, & praesentati semel a Provincia acceptati, gradibus Magisterii, vel Praesentaturae, seu aliquo ex eorum privilegiis nullo modo possint suspendi, vel privari, aut suspensi, vel privati declarari, nisi propter casus dumtaxat pro eorum privatione, vel suspensione in Constitutionibus expressos, & per sententiam a Definitorio Capituli saltem privati, juris ordine servato procedendum: Et si contrarium super his fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, & inane ipso facto, & absque alia declaratione: Praesati insuper Magistri a Provincia acceptati, quoad habilitatem ad Officium Provincialatus, absque eo quod Conventuum Priores aliquando extiterint, confirmantes, & innovantes declarationes Reverendissimi Valvasorii Praedecessoris nostri, eo quod omnes acta legerint, & docuerint, privilegio Regentium gaudeant, & potantur.

De amotione, & reuocacione Vicariorum Priorum.

Vigesimo primo. Vicarii Priores, qui loco Priorum, vel Vicariorum titularium cum voto, vel ante, vel post Congregationem intermediam quomolibet eliguntur, vel providentur nullo modo ad libitum removeri possint, sed si motiva adsint privationis, vel declarationis privationis, contra eos procedendum esse declaramus eodem modo, & forma praescriptis in Constitutionibus 3. part. cap. 13. §. 17., & in Decreto sub num. 24. infrascripto; irritum, ac inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes, quidquid fecus fieri, vel attentari contigerit. Innovantes propterea, & ampliantes Decretum Rmi Lanfranconi pro eadem Provincia Quiteni emanatum; praecipimus omnibus, & singulis Prioribus, & Vicariis Prioribus in Capitulo Provinciali, seu alias aleatis, vel provisus sub poenis privationis praedictorum Officiorum ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum per quinquennium obtinenda, ut in Conventibus, Doctrinis, vel Praediis pro quibus sunt electi, vel provisus, ad praescriptum Constitutionum 3. part. Cap. 13. §. 9. omnino residere teneantur, Paterque Provincialis, seu Rector Provinciae, vel alias quicumque Superior sub poena privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrenda eidem, vel alicui eorum nullo modo residentiam impediunt, sed eos ad ita residentium cum effectu respective compellant, & cum Priores, seu Vicarii Priores ad Capitulum Provinciale ire debent, praedictus Provincialis, seu Rector Provinciae sub eadem poena privationis de Vicariis, qui Conventibus interim praesint, excepto unico casu in Constitutionibus expresso 3. part. Cap. 20. §. 1. nullo modo provideant, sed conformiter ad dispositionem ejusdem Cap. 20. si praedicti Conventus Superiorem non habuerint, Vicarii eligantur; nec sub eadem poena privationis, auctoritatem, & gubernium interinarium Superiorem, vel in ejus defectu praedictas electiones valeant impedire, vel fecus super his quovis modo audeant attentare.

Vigesimo secundo. Quotiescumque juxta praescriptum nostrarum Constitutionum Superior

Localis ad aliquam causam, vel negotium pertractandum Patribus consilii uti debet (inter quos semper connumerari debere declaramus, & praecipimus Studiorum Regentes, & Lectores Sacrae Theologiae, & Artium, tam actuales, quam Jubilatos) tunc omnes, & singulos Patres consiliarios vota decisiva habere declarantes; Decernimus, quod si aliquis eorum pro suffragatione secreta instantiam fecerit, per ballottas secretas omnino fiat, & in omni eventu, nisi eorum major pars concurrat, & consentiat, sententia, vel resolutio nullo modo sit, neque intelligatur facta: Superior vero sub poenis privationis utriusque vocis per quinquennium, & nullitatis agendorum ipso facto incurrendis, neque liberam Patrum suffragationem publicam, vel secretam valeat quovis modo impedire, neque eorumdem vota ad ejus sensum extorquere.

De Patribus convocandis ad negotia, & Censuram pertractanda.

Vigesimo tertio. Si quis in posterum contra suam professionem judicialiter reclamaverit, vel de ejus nullitate dixerit, a quocumque Officio, quod pro tunc habuerit ipso facto sit absolutus, & privatus, liteque, seu reclamatione durante, nec vocem activam, nec passivam ullo modo habeat: & si in quocumque statu causa, vel post sententiam definitivam, etiam in iudicatum translata ad Matrem suam Religionem redire velit, charitative quidem recipiatur; ita tamen, ut si facta Processu ad praescriptum Decreti sub num. 24. infra positi, legitime constituerit, indebite, ac malitiose, & praesertim ad se subtrahendum a correctione Superioris contra professionem reclamasse, vel de ejus nullitate dixisse; si Graduat, vel Sacerdos tantum fuerit, locum novissimum inter Graduat, vel Sacerdotes per annum respective habeat, & utraque voce careat per biennium. Si vero non Sacerdos, sive Chorista, ut vocant fuerit, poenam gravioris culpa per unum mensem sustineat, & ad Sacros Ordines, etiam si in eis initiatus fuerit, per triennium nullo modo promoveatur: & si tandem Laicus fuerit, eandem poenam gravioris culpa per unum mensem fubeat, & locum novissimum teneat per biennium.

De reclamantibus eorum professioni.

Vigesimo quarto. Cum Pater Provincialis, etiam tempore Visitationis, in quibuscumque causis civilibus, vel criminalibus procedit, seu procedere intendit ad imponendum, etiam per Sententiam declaratoriam poenam, vel poenas gravioris ordinarias, scilicet privationis vocis activae, vel passivae, Dignitatis, Prioratus, Magisterii, Praesentaturae officii vocem activam, vel curam Animarum habentis, gravissima culpa, treremium, exilii a Provincia, tortura, infamiae, Apostasia, Conspirantis, Capitis factionum, incorrigibilitatis, & aliarum similium, vel formidabiliorum, aut infamiam Personae, Conventus, Provinciae, vel Religionis inducentium, insuper in illis causis, in quibus tractatur de exclusione, vel admisione, validitate, vel invaliditate alicujus Magisterii, vel praesentaturae, in aliis similibus, vel gravioribus: tunc praedictus P. Provincialis non tamquam visitator, nec sub ratione & formalitate Visitationis (etsi ea in actu fuerit) sed tamquam Judex (praesuppositis tamen de Jure praesupponendis) judicialiter, & compilato Processu, servatisque omnibus, & singulis substantialibus iudicis ordinariis, in earum substantiatione, cognitione, & determinatione omni-

De forma, quam Provincialis servare debet in causis gravioribus.

no procedere teneatur; itaut Reum, seu Reos, prout de jure etiam ad sententiam citet; eos in omnibus, & singulis suis legitimis Defensionibus, excusationibus, & exceptionibus, etiam contra iudicem, vel iudices, testem, vel testes, prout de jure audiat: Eis integram copiam Processus, nomina testium, & consultum habere cum Advocatis, seu juris Peritis, etiam secularibus, si petierint, terminosque sufficientes pro suis defensionibus concedat: Coniudices verbo, vel scripto informare nullatenus impediatur; Ceteraque hujusmodi, etiam circa habilitatem, juramentum, examen, & repetitionem testium pro integritate Iudicii, & legitima esformatione probationum de jure necessaria (quae probationes, ut ad poenam, vel poenas praecipue ordinarias Reus condemnari, vel in eas, aut in aliquam earum incursum declarari possit, plene, clare, & concludentes debent esse) omnino observet, & ad sententiam sine plena cognitione causa (prout ex parte sua fuerit) nullo modo procedat, neque procedere possit: Appellationes insuper legitimae, etiam ex causa probabili debito tempore interpositae (exceptis tamen quibusdam casibus particularibus de jure, & prout de jure excipiendis) quoad utrumque effectum, scilicet suspensivum, & devolutivum in quantum ad se attinet, admittat, easque sic admittere teneatur: quam formam, modum, & ordinem judicialiter procedendi, & iudicandi, etiam circa appellationis admissionem, alium quemcumque Superiorem ordinarium, vel delegatum, necnon quodcumque Tribunal, vel Definitorium etiam Capituli Provincialis respective observare teneri decernimus, & declaramus; Unde verba nostrarum Constitutionum 3. part. Cap. 12. §. 22. ibi. Appellationes a correctione Regulari, vel a precepto sui Superioris poenis inhibemus, & a nostro Ordine relegamus &c. & illa 6. part. Cap. 23. §. 2. ibi. Imposita tamen poenis quocumque modo imponantur, a Subditis humiliter acceptentur, postposita omni appellatione; nam a correctionibus non licet Fratribus nostris appellare. De correctionibus, vel praecipit extrajudicialiter, & ad poenitentiam impositis, modumque legitime corrigendi, & praecipendi non excedentibus intelligenda esse declaramus, & non aliter neque alio modo: & si fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, & inane, nulliusque roboris, & momenti ipso facto, & absque alia declaratione.

De iudicibus recusantibus.

Vigesimo quinto. Recusationes malitiosae, calumniosae, frivola, frustratoriae nullo modo admittantur, sed potius ita recusantes graviter, & prout de jure respective corrigantur, & puniantur; si tamen quicumque superior tam intra, quam extra terminum visitationis judicialiter procedens, seu procedere intendens, legitime recusari, etiam ex causa probabili contingat, tunc hujusmodi recusatione admessa, circa probationem causae, vel causarum praedictae recusationis, necnon circa alia ad ipsam recusationem, ejusque iudicium concernentia, vel attinentia, ac insuper in omnibus, & singulis illis casibus in nostris Sacris Constitutionibus omissis, & in casibus dubiis pro eorum doctrinali intelligentia, seu interpretatione, in eo interim quod Reverendissimi Patris responsum legitime habeatur; prout de Jure communi Canonico procedi, & ad

illud respective recurri debere, volumus, & declaramus. Verum si Pater Praesidens intra Definitorium Capituli Provincialis, vel P. Provincialis intra definitoria Congregationis intermediae, vel Capituli privati, legitime coram eisdem Definitoriis recusari contigerit, Vicarios loco eorum nominare, vel substituere etiam, sub motivo praesidendi minime possint, sed in tali casu praesidentia Definitorii, quodcumque sit, Patri ex reliquis in ordine sedendi antiquiori pertineat, & tam in istis, quam in casu recusationis aliorum Coniudicum, dummodo tamen major pars Definitorii libera, & expedita maneat, nullus alius ad Definitorium loco recusati, vel recusantis vocetur, vel admittatur, sed plena iurisdictione, etiam quoad causam principalem in majori parte Coniudicum remanentium sit, & permaneat, prout ita esse, & permanere volumus, & declaramus: quod si major pars Definitorii, ut supra non manserit, itaut in Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediae quinque, & in Definitorio Capituli privati tres ad minus Patres liberi, & expediti existant; tunc pro dicta majori parte integranda, ad praescriptum Decreti sub num. 9. suprapositi inviolabiliter procedatur.

De promovendis ad gradus, vel ordines, nec non de Apostatis.

Vigesimo sexto. Nullus Religiosorum, qui a decem annis professionem in eadem Quiti Provincia emisit, vel emittit in posterum, in Definitorium, Visitatorum, Regentem, Secretarium, Doctrinarium, Concionatorem, Priorem etiam Indorum, vel Praedii eligi possit, nisi per biennium integrum Artium, & per Triennium Sacrae Theologiae cursus compleverit. In Confessores vero eligi poterunt dummodo in casibus conscientiae sint sufficienter instructi: ii autem, qui ex aliis Provinciis a decem annis Quiteni Provinciae sunt filii, vel affiliabuntur in posterum, Definitorio per instrumenta authentica, constare faciant, qualiter praedictos Artium, & Sacrae Theologiae cursus in Provinciis a quibus sunt exiliati perfererint, alias sub poena inhabilitatis ad recensita officia praedictos cursus in Provincia Quiti completere teneantur; & ad vitandam omnem irregularitatis suspensionem in Sacris Ordinibus suscipiendis, praecipimus, & mandamus R. P. Provinciali, seu Rectori Provinciali, necnon cuicumque Definitorio, etiam Capituli Provincialis ejusdem Provinciae Quiteni nunc, & pro tempore existentibus, sub poenis privationis utriusque vocis per decennium, ut ad Canones Sacrosancti Concilii Tridentini, Religiosis alterius Provinciae, etiam cum licentia suorum Provincialium ad istam Quitensem divertentibus nullo modo Dimissorias ad Ordines sacros suscipiendos, etiam si in eis initiati fuerint, de cetero concedant, cum hujusmodi Dimissoriae propriis, & non ab alienis Provincialibus concedendae sunt: Animarumque praeterea saluti consulentes ob immanem terrae, marisque distantiam ab hac Romana Curia, benigne concedimus Patri Provinciali, seu Rectori Provinciali, & Definitoribus etiam Capituli privati praedictae Provinciae Quiteni, nunc, & pro tempore existentibus, ut Religiosos suos Apostatas, etiam si a multo tempore, & ultra annum a Conventu, vel etiam a Provincia, immo, & a Religione non tamen a fide apostataverint, recipere possint, servatis tamen quoad cetera dispositionibus nostrarum Constitutionum sexta parte Capite

ferie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium prepositorum consilio, omnia, & singula Decreta, Statuta, Ordinationes, & Declarationes, ac articulos, & capitula preinserta, auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervernerint, supplemus, salva tamen in premissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Omnia relata Decreta confirmantur.

Clausula.

§. 4. Decernentes ipsas presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suisque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectu inviolabiliter observari: Sicque in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & definituri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædictorum Ordinis, & Provinciae, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut eorumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel ostense.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Mart. MDCLXXIX. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

LVI.

Dat. 24. Mar. 1679. An. 3.

Permittitur, ut Festum B.M.V. de Monte Carmelo cum Officio, & Missa propria Fratrum Carmelitarum celebretur ab omnibus in Regnis, & Dominiis Coronæ Portugallie subiectis.

Die 24. Septembris 1726. Benedictus XIII. hoc Festum cum Officio ab ipso approbato extendit ad Urbem, & Orbem.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perp. rei memor.

Apostolatus officium, quod inscrutabilis Divinæ bonitatis altitudo humilitati nostræ, meritis licet, & viribus longe impari committere dignata est, salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes piis Christifidelium, & præsertim personarum in sublimitate positarum, magnoque virtutum fulgore conspicuarum votis ad augendam in Terris augustissimæ, Sanctissimæque Deiparæ Virginis Mariæ cultum, & venerationem laudabili studio tendentibus favorabilem assensum paterna benignitate libenter præbemus, sicut ad augendam Christiani Populi devotionem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exordium.

§. 1. Cum itaque sicut nomine Charissimæ in Christo Filiæ nostræ Mariæ Franciscæ Elisabethæ Portugallie, & Algarbiorum Reginæ illustris Nobis per Venerabilem Fratrem Ludovicum Archiepiscopum Bracharen. dilectissimi in Christo Filii nostri Petri Principis Portugallie, & Algarbiorum Regnorum Gubernatoris apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem nuper expositum fuit, ipsa Maria Franciscæ Elisabethæ Regina pro peculiari sua erga Beatissimam Virginem præfatam devotione festum ejusdem Sanctissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo quotannis die 16. Julii, seu alia die intra illius octavam cum eodem officio ac Missa propria, quibus Fratres Ordinis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo ex Indulto Sedis Apostolicæ prædictæ utuntur, in Regnis, & Dominiis Coronæ Portugallie subiectis celebrari posse summo opere desideret: Nos ipsius Mariæ Franciscæ Elisabethæ Reginæ votis hac in re quantum cum Domino possumus paternæ charitatis studio annuere cupientes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut festum gloriosissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur in omnibus Ecclesiis præfatorum Regnorum Portugallie, & Algarbiorum, ac Provinciarum, & Ditionum quarumcumque Coronæ Portugallie subiectorum annis singulis die 16. Julii, seu alia die intra illius octavam cum officio, & Missa propria, quibus Fratres prædicti sicut præmittitur, utuntur, celebrari libere, & licite possint, & valeat, auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus, & indulgemus.

Preces Regine Portugallie.

Prædictum festum cum Officio, & Missa propria die 16. Julii vel alia intra octavam celebrandum extenditur ad omnes Ecclesias in locis Coronæ Portugallie sitas.

Clausula.

§. 2. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suisque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in premissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegates etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definituri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Or-

Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut eorumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel ostense.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV. Martii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LVII.

Dat. 19. Apr. 1679. An. 3.

Confirmatur Decretum, quo specialis Congregatio segregavit quatuor Cœnobita a Provincia Bavarie Fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Causa Decretiva.

Nuper ad tollendas in posterum occasiones discordiarum, & scandalorum, quæ a plerisque annis in Provinciis Bavarie Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini irrepserant, Congregatio nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostri S.R.E. Cardinalibus super negotiis dictæ Provincie a Nobis specialiter deputata, in vim facultatis sibi a Nobis attributæ, Conventus Salisburgensem, Dissemburgensem, Ratembergensem, & de Schefel ab eadem Provincia Bavarie segregavit, & dismembravit, eosque segregatos, & dismembratos esse voluit, & declaravit, uni, vel pluribus dicti Ordinis Provinciis adjacentibus commodioribus, vel magis opportunis per eandem Congregationem opportuno tempore aggregandos, & incorporandos, relictis ipsi Provincie Bavarie omnibus Conventibus, quæ in Bavaria existunt, quive in ea erigentur, ac insuper Conventu Ratisbonensi dicti Ordinis, ut Provinciam Bavaricam in posterum constituerent, ac integrarent, & alias prout uberius continetur in literis dilecti filii Nostri Palatii ejusdem S.R.E. Eccl. Presbyteri Cardinalis de Alteriis nuncupati, ejusdem Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris deputati emanatis, tenoris, qui sequitur, videlicet --

Literæ Emi Protectoris in quibus referuntur Congregationis Decretum.

§. 1. Palutius Tit. Sanctorum XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis de Alteriis S.R. Eccl. Camerarius, ac totius Ordinis Eremitarum Sancti Augustini apud Sanctam Sedem Protector. Cum in Sacra Congregatione deputata per Sanctissimum D.N. Innocentium XI. feliciter regnantem pro negotiis Provincie Bavarie Ordinis Eremitarum Sancti Augustini sub die 17. Martii 1679. in Domo Emi Domini Vidoni cum interventu EE. DD. Fachenetti, Franzoni, Caraxæ, nostri de Alteriis, Columnæ, & ejusdem Vidoni, ad tollendas in posterum occasiones discordiarum, & scandalorum, quæ a plerisque annis irrepserant, resolutum fuerit consulendum esse Sanctissimum, ut ex nimium justis, & rationabilibus motivis, & causis in eadem Congregatione mature perpenfis, & examinatis dignaretur dismembrare a dicta Provincia

Conventus Civitatis Salisburgensis, loci Dissemburgensis ejusdem Diocesis Salisburgensis, ac etiam Conventus de Ratemberg, & de Schefel in Tyrolensi Ditione, eosque aggregare uni, vel pluribus Provinciis adjacentibus commodioribus, vel magis opportunis; itaut ipsa Bavarica Provincia constituatur in posterum ex solis Conventibus in ipsa Bavaria existentibus, aliisque in ea, ut speratur erigendis, necnon ex Conventu Ratisbonensi, qui in ea remaneat. Cumque relatione sibi facta, Sanctitas Sua hanc Congregationis resolutionem laudaverit, & approbaverit, eique opportunam ad id facultatem, benigne fuerit largita: Propterea eadem Sacra Congregatio, Pontificia auctoritate, præfatos Conventus Salisburgensem, Dissemburgensem, Ratembergensem, & de Schefel a præfata Provincia Bavarie segregat, & dismembrat, eosque segregatos, ac dismembratos esse vult, & declarat uni, vel pluribus Provinciis, ut supra opportuno tempore per eandem Sacram Congregationem aggregandos, & incorporandos, relictis omnibus Conventibus, qui in Bavaria extant, quique in ea erigentur, ac insuper Conventu Ratisbonensi, ut Provinciam Bavaricam in posterum constituent, ac integrent: Ita tamen, ut Religiosi omnes prædictorum Conventuum Salisburgensis, Dissemburgensis, & Ratembergensis, & de Schefel quamvis ratione originis Bavarici sint, in eodem statu, & respectu gradibus, in quibus reperiuntur, gaudeant omnibus prærogativis in Provincia, aut Provinciis, cui, vel quibus aggregabuntur, proinde ac si ab initio in iis professionem emisissent, absque ulla prorsus differentia. Eadem vero Sacra Congregatio nobis tamquam præfati Ordinis apud Sanctam Sedem Protectori benigne commisit, ut hanc dismembrationem, ac segregationem Conventuum a se factam notificaremus, prout per presentes notificamus, simulque vigore facultatis a Sanctissimo D.N. super hoc negotio specialiter Nobis factæ, præcipimus omnibus, & singulis PP., ac FF. præfate Provincie Bavarie cujuscumque status, gradus, & conditionis existentibus in meritum salutaris obedientie, sub privationis utriusque vocis, graduum, & Officiorum, & in subsidium sub excommunicationis late sententiæ, quam hac una pro trina canonica monitione præmissa in his scriptis, licet inviti, ferimus, aliisque nobis reservatis, & ipso facto incurrendis poenis, ne sub quovis pretextu, aut quæsito colore, per se, vel per alios, directe, vel indirecte impedimento sint, quo minus præfata Conventuum dismembratio, ac segregatio executioni mandetur. Datum Romæ ex Aedibus nostris hac die 25. Martii 1679. I. Cardinalis de Alteriis Protector.

Sejuncta fuerunt a Provincia Bavarie quatuor cœnobita postea a Congregatione adjudicata aliis Provinciis, in quibus Fratres Bavarici servare poterant suos gradus, & prærogativas.

Precepti sunt segregatis nis executio sub certis poenis.

Preces Superiorum, & Fratrum d. Provincie Bavarie.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Superiorum, & Fratrum dictæ Provincie Bavarie nobis subinde expositum fuit, ipsi præmissa quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum presentium dumtaxat consequen-

De Lectoribus.

parte decimoquarto de Apostatis recipiendis.  
 Vigesimo septimo. Ut debitum studiorum premium benemeritis retribuatur, precipimus, quod in Lectorem Artium nullus de cetero assumatur, nisi prius per integrum biennium Artium ad minus, & per quadriennium Theologiae Scholasticae cursibus peractis, praevium rigorosum examen per oppositionem lectionis 24. horarum coram Patre Provinciali, Superiori ordinario Conventus, Magistris a Provincia acceptatis, studiorum Regente, Lectoribus tam actualibus, quam jubilibus, & studiorum Magistro, subeat, ac argumentis satisfactis, a majori parte praedictorum Patrum per suffragia secreta approbatus fuerit: Inter approbatos vere ceteris praestantior, pro primo Artium cursu legendo deputetur: quod si aequales in doctrina censentur, antiquior in studiis Scholasticis, & data in iis aequalitate, antiquior in professione alius praefertur: ad Lecturatum itidem Theologicos inter Artium Lectores, ille primo assumatur, qui antiquior est in lectione Scholastica, in qua si pares sint, qui prius Lector fuerit institutus, & si aequales in institutione inveniantur, ordo servetur professionis, ei vero, qui inverso ordine a Nobis praescripto ad Lectoris munus assumptus fuerit, annus, vel anni, quibus Artes, vel Theologiam, aut utramque facultatem legerit, seu docuerit, nullo modo computentur, neque computari possint pro Magisterio obtinendo.

De Magistris, & Praefentatis.

Vigesimo octavo. Patres Definitorii, etiam Capituli Provincialis sub poena privationis vocis activae, & passivae, per quinquennium ipso facto incurrenda, nullo modo ad Magisterium etiam pro primo loco vacaturo postulent, vel exponant eum, qui per octo Annos Artium, & Theologiae cursibus docendo, & legendo prius non compleverit; neque eundem, vel alium quemcumque pro Magistro etiam primum locum vacaturum acceptent, seu recipiant, nisi praedicto tempore Lectoriae completo, literas originales Magisterii coram Definitorio exhibuerit. Ad Praefentaturam vero gradum sub eadem poena privationis neminem postulent, aut pro praefentato acceptent, seu recipiant, nisi cursibus Philosophicis, & Theologicis ut supra, in Decreto sub num. 26. expletis, sex ferias Quadragesimales, ut vocant, & alios particulares sermones praedicaverit, literasque Praefentaturae ante acceptationem, seu receptionem coram Definitorio exhibuerit originales, irritum, & inane ipso facto & absque alia declaratione decernentes, si secus super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit.

De Praecedentibus.

Vigesimonono. Ad extirpanda radicitus litium germina, quae circa praecedentias oriri solent: Declaramus, quod Exprovincialis, & Expraesidens toto illo quadriennio, quo immediate absoluti sunt suis ab Officiis respective, cum adhuc de corpore Definitorii sint, eundem locum ubique, & praecedentiam habent, quam habent intra Definitorium Congregationis intermediae, ex declaratione Reverendissimi Lanfrancii pro eadem Provincia emanata in eaque usu recepta, declarantes tamen, quod transacto quadriennio, in quo sunt immediate absoluti, ad praecedentiam, & locum ex Constitut. 3. parte Cap. 21. eisdem alias debitum, reduci teneantur, prout sub poena privationis vocis, & loci per quinquennium ipso facto incurrendis praeci-

pimus omnibus, & singulis hujusmodi Patribus, etiam eis, qui ante hujus Decreti emanationem ita absoluti extiterunt, ut cum effectu reducantur, non obstantibus quibuscumque in contrarium, cum juxta Constitutionem Urbani VIII. de die 15. Januarii 1630. incipien. In Sede Principis Apostolorum praedictum Capitulum 21. 3. parte earundem Constitutionum de ordine praecedentiarum inviolabiliter observari debeat: quoad Magistros insuper a Provincia acceptatos, in Choro, Refectorio, Capitulo, Processionibus &c. Ille, qui per tres menses ad minus prius gradus fuerit, insigniaque Magistralia susceperit ad praescriptum praedictarum Constitutionum, praedicta 3. parte Cap. 21., & 5. parte Cap. 6. ceteros etiam si Exprovinciales sint, praecedat, praecedereque debeat, nullo habito respectu ad qualitatem Exprovincialitatis, utpote ex praedicto Cap. 21. 3. parte Constitutionum Magisterio inferiorem: Inter Praefentatos autem ille alios in eisdem locis praecedat, praecedereque debeat, qui per duos menses ad minus gradu Praefentaturae, etiam ante hujusmodi Decreti emanationem prius gradus fuerit, sive sint cum voto, sive non sint, cum juxta praedictas Constitutiones eadem 3. parte, eodemque Cap. 21. praedicti Praefentati, & Superior Conventus vota non habentes ante Socium Patris Provincialis, qui habet votum, locum & praecedentiam teneant; qui vero ab aliis Provinciis exsiliati, Provinciae Quiteni affiliantur, eundem in hac locum, & praecedentiam retineant, quem in Provincia, a qua exsiliantur habebant, itaut Magister inter Magistros, Praefentatusque inter Praefentatos &c. praecedentiam retineant sibi debitam, dummodo tamen de sua legitima promotione ad gradum Magisterii, vel Praefentaturae, sive de antiquitate suae Professionis, si graduati non fuerint, Definitorio saltem privato Provinciae Quiteni, cui affiliantur, legitime constare faciant. Ut haec, quae circa praecedentiam decreta sunt, exactius in ista Provincia serventur: Declaramus, quod Patres Provinciales actuales, seu Rectores Provinciales, sive per se ipsos, sive una cum Definitorio, etiam Capituli Provincialis nullo modo possunt, neque poterunt alicui Religioso concedere praecedentiam, sicut nec etiam privilegia personalia, quibus vel a Choro, vel a mensa Communi, vel a communibus observantiis eximantur; sed observandam esse omnino Constitutionem Apostolicam Urbani VIII. die 30. Julii 1626. incipien. Pastoralis, qua hujusmodi Privilegia, & exemptiones prohibita, & interdicta sunt, de ceteroque absque licentia Sedis Apostolicae concedi non possunt, irritum insuper, & inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes, & declarantes, si secus super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit.

Trigesimo. Volumus, & declaramus a Reverendissimorum Patrum Decretis, Statutis, Ordinationibus, & Declarationibus semel ab ista nostra Quiteni Provincia receptis, necnon ad ejus postulationem provisus, seu pro ipsius reformatione, & bono Regimine cum cognitione causae emanatis supplicationem, vel appellationem ex legitima causa interpositam, eorum, executionem nullo modo retardare, vel impedi-

De executione Decretorum, quorum duo de electione Provincialis declarantur.

dire posse; sed in eo interim, quod responsum, vel determinatio Superioris legitime habeatur, omnia, & singula inviolabiliter observari, ac omnino exequi debere: irritum, & inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes, si secus super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit.

§.1. Experientia insuper edocti, quod multa irreperint dubia, & lites ex Decretis Reverendissimorum Vicecomitis, & Lanfrancii Praedecessorum nostrorum, quibus praecipitur, ut electio Patris Provincialis sub poena nullitatis celebretur juxta Constitutiones; quodque, qui semel electus fuerit in Provinciale, altera vice eligi non possit sub poena ejusdem nullitatis; ideo praedicta duo Decreta moderanda, & ad terminos nostrarum Constitutionum reducenda statuimus, prout tenore praesentium ea moderamus, & reducimus. Declarantes, quod qui conformiter ad Sacros Canones, & nostras Constitutiones habilis, & idoneus ad Provincialatum repertus fuerit, valide, & legitime eligi possit: electioque, quae juxta praedictos Sacros Canones, & Constitutiones Religionis valida, & legitima fuerit, pro valida, & legitima habeatur, eodem prorsus modo, ac si praedicta duo Decreta emanata non fuissent.

De Rectore Provinciali, qui per aliquod tempus gubernaverit, & de electione Vicariorum, Priorum, aliorumque similium.

Trigesimo primo. Confirmantes, & quantum opus sit innovantes Declarationes Reverendissimorum PP. etiam pro eadem nostra Provincia Quiteni emanatas, declaramus Rectorem Provinciale legitime electum, seu institutum, qui cum effectu Provinciam per aliquod tempus gubernaverit, & locum, & vocem activam, & alia quaecumque Jura, prerogativas, & privilegia Provincialis absoluti, tum intra, tum extra Definitorium deinceps semper habere; & tandem cum nostrae Constitutiones 3. part. Cap. 9. disponant, ut in casu, quo Definitorium privatim post Congregationem intermediam Priores officio privet, nova electio, vel provisio Vicarii Prioris, quae tunc fieri debet, ad praedictum Definitorium privatim pertineat. Hujusmodi dispositionem, etiam de declaratione privationis, necnon in casu, quo alius quicumque Officialis vocem activam habens, officio privetur, vel privatus declaretur, intelligendam esse declaramus: irritum, ac inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes, si secus super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit.

Sanctio.

Trigesimo secundo. Ut autem praesentia, haec nostra Decreta, Statuta, Ordinationes, & Declarationes, quae cum plena cognitione causae pro reformatione, & bono regimine istius nostrae Provinciae Quiteni a Nobis matura consideratione edita fuerint, firmissime consistant, stricte precipimus R. P. Provinciali, seu Rectori Provinciae, omnibusque, & singulis RR. PP. Definitorii praedictae Provinciae nunc, & pro tempore existentibus in meritum salutaris obedientiae, sub rebellionis nostrae, privationis vocis activae, & passivae per decennium, graduum, officiorum necnon Excommunicationis majoris latae sententiae, quam hac una pro trina canonica mentione praemissa in his scriptis, licet inviti, ferimus, ipso facto incurrendis poenis, quatenus omni, & quacumque supplicatione, & appellatione remota, omnia, & singula Decreta, Statuta, Ordinationes, & Declarationes in his literis contenta in Capitulo etiam privato integre

recipiant, ad literam inviolabiliter observent, ab omnibus, & singulis respective, sic observari faciant, & ulla sine mora executioni mandent, non obstantibus quibuscumque Provinciae definitionibus, actis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, necnon nostris, vel Praedecessorum nostrorum Decretis, Statutis, Ordinationibus, & Declarationibus in contrarium praemissorum quomodolibet approbatis, confirmatis, innovatis, concessis, & emanatis, quae omnia, & singula in quantum praesentibus adversantur, revocamus, & annullamus, & revocata, & annullata esse volumus, & declaramus, sicuti etiam alia a nobis Decreta die 20. Mensis Novembris 1675. pro ista Provinciae Quiteni edita, tenore praesentium revocamus, & annullamus, revocataque, & annullata esse volumus, & declaramus, mandantes, ut ad nos cum effectu transmittantur. Praecipimus insuper eidem Patri Provinciali, seu Rectori Provinciae, nunc, & pro tempore existenti sub eisdem poenis, ut perpetuis futuris temporibus ante recognitionem P. Praesidentis in Capitulis Provincialibus, & in Congregationibus intermediis respective, coram omnibus Patribus, ac Fratribus hora, quae opportuna ei videatur, haec nostra Decreta, Ordinationes, Statuta, & Declarationes perlegi faciat, ac in libro Provinciae transcribi, & eorum authenticam copiam ad omnes Conventus dictae Provinciae transmitti curet, quorum Prioribus, seu Superioribus localibus nunc, & pro tempore existentibus etiam precipimus sub poena suspensionis ab officio per sex menses ipso facto incurrenda, ut eadem singulis annis, infra Quadragesimale tempus publice coram omnibus legi faciat. Haec autem nostra Decreta, Ordinationes, Statuta, & Declarationes, quae semper firma, valida, & efficacia esse decernimus, & declaramus, de subreptionis, vel obreptionis, vel alio quovis defectu, etiam intentionis nostrae, nemo Nobis inferior sub iisdem poenis, & excommunicatione, notare audeat: Siquae in praemissis per quoscumque praedictae Provinciae, & Ordinis nostri Judices, & Superiores Ordinarios, & Delegatos judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes, & declarantes, si secus super his a quoquam nobis inferiori, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter fieri, vel attentari contigerit.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subungebat, Decreta, Statuta, Ordinationes, & Declarationes, aliaque praemissa bono regimini, ac reformationi, & tranquillitati praedictae Provinciae valde utilia sint; firmiora vero existant ea, quibus Apostolica Sedes accedit auctoritas, Nobis propterea dictus Franciscus Procurator, etiam nomine dictae Provinciae humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Procuratoris Provinciae.

§.3. Nos igitur ipsum Franciscum Procuratorem specialis favore gratiae prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum,

Congregationis Decretum, & Protectoris littera confirmantur.

quendam harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, segregationem, & dismembrationem supradictorum quatuor Conventuum a prefata Provincia Bavariae, aliaque praemissa, tam a memorata Cardinalium Congregatione, quam a prefato Palatio Cardinale, & Protectore respectively facta, & ordinata, ut praefertur, expeditaque, desuper ejusdem Palatii Cardinalis, & Protectoris Litteras praefertur, cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Clausula.

§.3. Decerentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectively inviolabiliter observari: Sique in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum, ac Conventuum praefatorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV. Aprilis MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LVIII.

Dec. 10. Apr. 1679. An. 3.

Confirmatur regia electio S. Josephi in Patronum, & Protectorem omnium Regnorum ac Dominiorum Regis Catholici, & in ejus Festo Indulgentia plenaria conceditur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procerum.

EXimia pietas in Deum, ac erga Beatos Coeli incolas cum Christo regnantes, devotionis, aliarumque regiarum virtutum decora, cum praclaris in Ecclesiam Dei meritis, singularique in Nos, & Apostolicam Sedem fide conjuncta, quibus Charissimum in Christo filium nostrum, Carolum Hispaniarum Regem Catholicum multipliciter insignivit Altissimus, paternam nostram in eum charitatem adducunt, ut pia illius vota ad augendam in terris Sanctorum venerationem laudabiliter tendentia libentissime exaudiamus, coelestiumque gratiarum dispensationi

nostrae divinitus creditarum muneribus decoramus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Sanctorum honorem, Christianique populi praesidium, atque aedificationem salubriter in Domino expedire arbitramur.

§.1. Cum itaque sicut dilectus filius nobilis Vir Gaspar de Haro y Gusman, Marchio de Carpio pro dicto Carolo Rege apud Nos, & Sedem Apostolicam Orator Nobis nuper exponi fecit, idem Carolus Rex pro peculiari sua erga gloriosum Patriarcham Sanctum Josephum, Beatissimae Virginis Dei Genitricis Mariae Sponsum devotione, universa Regna, & Dominia sua illius patrocinio, atque protectioni commiserit, ipsumque Sanctum Josephum in Patronum, & Protectorem eorundem Regnorum, & Dominiorum elegerit, cupiatque propterea opportune in praemissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri.

§.2. Nos pium, & religiosum dicti Caroli Regis animum plurimum in Domino commendantes, supplicationibus ejus nomine Nobis per praefatum Gasparem Marchionem super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum consilio, electionem memorati Sancti Josephi in Patronum, & Protectorem Regnorum, & Dominiorum praefatorum factam, ut praefertur, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; & de praedicto Sancto Josepho in Patronum, & Protectorem sic electo praerogativas omnes ejusmodi Patronis, & Protectoris Regnorum, & Dominiorum competentes decernimus, juxta tamen Rubricas Breviarum, & Missalis Romani, & ad formam Constitutionis fel. rec. Urbani Papae VIII. Praedecessoris nostri super observatione Festorum die decima tertia Septembris 1642. emanata.

§.3. Praeterea ad augendam fidelium Religionem, & animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti. Omnibus utriusque sexus Christianis fidelibus, vere poenitentibus, & Confessis, ac Sacra Communione refectis, qui die Festo Sancti Josephi praedicti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi quascumque Ecclesias in Regnis, & Dominis dicti Regis, Deo in honorem ejusdem S. Josephi haecenus dedicatas, & in futurum quandocumque dedicandas, earumque quamlibet quotannis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§.4. Non obstantibus quibuscumque Decretis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus generalibus, vel specialibus, necnon quatenus opus sit quibusvis etiam Juramento confirmatione Apostolica, [vel] quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo

Preces Regis Hispaniarum pro confirmatione facta ab ipso electionis S. Josephi in Patronum, & Protectorem suorum Regnorum.

Confirmatur praedicta electio, & Sancto conceduntur praerogative omnes Patroni, & Protectoris.

Item visitantibus Ecclesias d. Patroni in eius festo conceditur Indulgentia Plenaria.

Clausula.

suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut eorundem praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constituta munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. April. MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LIX.

Dec. 22. Apr. 1679. An. 3.

Confirmatur Decretum Definitorum Congregationis Camaldulensium de alternativa quatuor praecipuorum Officiorum in quatuor eorum Provincia servanda.

Similis alternativa in Provincia Quinensi Eremitarum S. Augustini confirmata fuit ab eodem Pontifice in Constit. 25. quae incip. Pro parte charissimi.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUM (sicut accepimus) in Dieta Congregationis Monachorum Camaldulensium Ordinis S. Benedicti die 23. Aprilis 1676. factum fuit Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum. Dieta de alternativa electionum Generalis, Procuratoris Generalis, Procuratoris Generalis, Visitatorum, & Definitorum in Provincia Romandiole, Veneta, Etruria, & Marchia, adeo quod unicuique Provinciae unum ex praedictis quatuor Officiis conferatur tali ordine, & dispositione, ut postquam una ex praedictis Provinciis Generalatum obtinuerit, non possit iterum obtinere, nisi postquam per alias tres Provincias Generalatus fuerit distributus, & sic dispositum intelligatur de aliis tribus officiis. Nos Decretum hujusmodi rationi consentaneum, illiusque observantiam multum utilitatis dictae Congregationi allaturam esse reputantes, de Congregationis nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super hoc negotio specialiter deputatorum consilio, Decretum praesentium auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatur restatum Decretum.

Ut servetur aequitas, & Justitia distributiva in electione Generalis, Procuratoris generalis, & Visitatorum unanimi consensu, & per vota secreta statuerunt, & decreverunt RR. PP. Definidores, ut in posterum in futuris Capitulis generalibus supradicta quatuor Officia alternativum distribuuntur per quatuor Provincias Romandiole, Venetae, Etruriae, & Marchiae, adeo quod unicuique Provinciae unum ex praedictis quatuor Officiis conferatur tali ordine, & dispositione, ut postquam una ex praedictis Provinciis Generalatum obtinuerit, non possit iterum obtinere, nisi postquam per alias tres Provincias Generalatus fuerit distributus, & sic dispositum intelligatur de aliis tribus officiis. Nos Decretum hujusmodi rationi consentaneum, illiusque observantiam multum utilitatis dictae Congregationi allaturam esse reputantes, de Congregationis nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super hoc negotio specialiter deputatorum consilio, Decretum praesentium auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Qui additur, ut alternativa Generalatus incipiat a Provincia Etruria, & Marchia.

§.1. Praeterea considerantes, quod Provincia Etruria, & Marchia dictae Congregationis Camaldulensium jam a multis annis Generalatu ejusdem Congregationis honorate non fuerunt, in proximo futuro ipsius Congregationis Capitulo generali unum Monachum expresse professum Provinciae Etruria, vel Marchiae hujusmodi qualitatibus ad id per Constitutiones dictae Congregationis requisitis praedictum in Abbatem Generalem ejusdem Congregationis, servatis alias

servandis, eligi, quoad reliqua vero tria Procuratoris, scilicet Generalis, & duorum Visitatorum Congregationis praefatae munera dispositionem Decreti praesentis observari debere, auctoritate, & tenore praedictis decernimus, & declaramus.

Clausula.

§.2. Decerentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectively inviolabiliter observari; sique in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictae Congregationis Camaldulensium, ejusque Provinciarum, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Aprilis MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LX.

Dec. 26. Maii 1679. An. 3.

Extenditur Festum Patrocinii B. M. Virginis ab Alexandro VII. institutum in Regnis Hispaniarum ad omnia Dominia Regis Catholici.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXimia, & Orthodoxae fidei cultore, & affertore Rege digna Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici erga Augustissimam, atque Gloriosissimam, Virginem Dei Genitricem Mariam devotio promeretur, ut piis illius votis ad augendam, & propagandam in Terris Coeli Reginae super Choros Angelorum exaltate venerationem laudabili studio tendentibus favorabilem assensum paternae benignitate libentissime praebamus.

Exordium.

§.1. Dudum siquidem fel. rec. Alexandro Papa Septimo pro parte clarae memor. Philippi Quarti dum vixit eorundem Hispaniarum Regis Catholici exposito, quod ipse Philippus Rex ad augendas Beatissimae Virginis Mariae praefatae gratias pro plurimis beneficiis, quae ab illa accepisset pro affectu profitebatur, unum festum particulare patrocinii Beatissimae Mariae Virginis nuncupandum in omnibus Hispaniarum Regnis aliqua die Dominica Mensis Novembris annis singulis celebrari summopere desiderabat; Idem

Precibus Philippi IV. festum Patrocinii cui determinatio Officio, & Missae exposita fuit celebrari etiam a Regibus in omnibus Hispaniarum Regnis.

Ale.

Alexander prædecessor, supplicationibus præfati Philippi Regis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, Clero, etiam Regulari præfatorum Regnorum Hispaniæ, ut aliqua die Dominica Mensis Novembris per Ordinarium loci designanda annis singulis festum Patrocinii ejusdem Beate Mariæ Virginis cum Officio duplici, quod recitatur die quinta Augusti in festo Dedicacionis Sanctæ Mariæ de Nives, exceptis lectionibus secundi Nocturni, quæ sumerentur ex sermone Sancti Joannis Chrysostomi, Dei filius &c. quæ habetur die duodecima Septembris, quinta infra Octavam Nativitatis ipsius Beate Mariæ Virginis, necnon cum Missa, quæ celebratur dicta die cum Gloria, & Credo, celebrare libere, & licite possent, & valerent, auctoritate Apostolica concessit, & indulgit: Præterea omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communionem recepissis, qui Missæ Solemni in die prædicta interfuissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & alias prout in ipsius Alexandri prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die vigesima octava Julii 1657. expeditis quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, plenius continetur.

Item concessa Indulgentia plenaria adstantibus solemnè Missæ Fests in aliqua Dominica Novembris celebrandi.

Preces Caroli II. Regis Hispaniarum.

Extenditur festum prædictum una cum Indulgentia ad omnia dominia eidem Regi subiecta.

Clausula.

etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibite, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Maji MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXI.

Declaratur, Inquisitores Portugalliæ incurrisse in suspensionem Officiorum ob denegatam obedientiam præcepto Pontificis.

Dat. 27. Maji 1679. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Cum nos per nostras in simili forma Brevis die 24. Decembris proxime præteriti expeditas literas Venerabili Fratri Verissimo Archiepiscopo olim Bracharen tunc temporis munere Inquisitoris Generalis adversus hæreticam pravitatem in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis ex concessione, seu delegatione Apostolica fungenti in virtute Sanctæ obedientiæ districtè præceperimus, & mandaverimus, ut intra terminum decem dierum, a die quo eadem literæ ei per Venerabilem Fratrem Marcellum Archiepiscopum Chalcedonen. nostrum, & Apostolicæ Sedis in Regnis præfatis Nuncium præsentate fuissent, computandum quatuor, vel quinque Processus Originales in Tribunali Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem hujusmodi in eisdem Regnis auctoritate Apostolica instituta contra Reos de Judaismo inquisitos, seu accusatos, vel denunciatos, qui etiam tanquam negativi in poenam ordinariam condemnati fuerant, jam finitos, & terminatos in manibus ejusdem Marcelli Archiepiscopi, & Nuncii realiter, & cum effectu consignasse, & tradidisse omnino deberet, alioquin elapso dicto termino, nec sequuta effectiva consignatione Processuum hujusmodi, eo ipso tam ipsum Verissimum Archiepiscopum ab Officio Generalis Inquisitoris hujusmodi sibi a nobis per alias nostras pariter in forma Brevis emanatas literas demandato, omnique, & quacumque auctoritate sibi per eandem literas quomodolibet attributa, quam omnes, & singulos alios Inquisitores in eisdem Regnis a dicto Verissimo Archiepiscopo ejusque prædecessoribus Inquisitoribus generalibus respectively electos, seu deputatos, vel confirmatos a suis pariter muneribus, omnique potestate agendi, seu procedendi, aut alias quomodolibet se ingerendi in causis ad Sanctum Inquisitionis Officium in præfatis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis quovis modo spectantibus, donec, & quousque aliter a nobis, & Sede Apostolica præfata dispositum, vel ordinatum fuisset penitus, omnino suspenderimus, ac ipso facto suspensos fore, irritumque, & inane, si quid subinde desuper tam a præfato Verissimo Archiepiscopo, quam ab aliis Inquisitoribus prædictis, vel eorum aliquo quomodolibet, & quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigisset, & tam ipsum Verissimum Archiepiscopum, quam ceteros omnes, & singulos Inquisitores præfatos, si præceptum nostrum hujusmodi transgredi, aut alias quomodolibet primodictis

Species facti.

Mandati sunt Inquisitori Generali, ut a sua quadam traderet Nuncio Apostolico.

Sub poena suspensionis officiorum, quam tam ipsi quam alii Inquisitores statim incurissent.

Item sub poena Canonis S. Sedis reservatis.

dictis literis contravenire ausi fuissent, ipso facto in poenas canonicas, ipsum quidem Verissimum Archiepiscopum tunc Inquisitorem Generalem in poenam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, ceteros vero Inquisitores prædictos in excommunicationem majorem respectively absque alia declaratione incursum esse decreverimus, & declaraverimus: Absolutionem autem ab istis poenis Nobis, & huic Sanctæ Sedi specialiter reservaverimus, & alias prout in primodictis literis nostris, quorum tenorem, præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Verum, (sicut accepimus) idem Verissimus Archiepiscopus olim Inquisitor Generalis mandato, & præcepto nostris sibi per eandem literas minime paruerit, & proinde tam ipse, quam ceteri olim Inquisitores prædicti suspensionem a suis respectively muneribus præfatis, omnique potestate, & auctoritate agendi, seu procedendi, aut alias quomodolibet se ingerendi in causis ad Sanctum Inquisitionis Officium quovis modo spectantibus incurrisse reperiantur: Hinc est, quod Nos præmissa ad omnium, quorum interest, & in futurum intererit, notitiam, nequis illorum ignorantia forsitan decipiatur, deduci volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratum Verissimum Archiepiscopum olim Inquisitorem Generalem, ceterosque præfatos ob non præstitam mandato, & præcepto nostris hujusmodi circa consignationem Processuum prædictorum in manibus prædicti Marcelli Archiepiscopi, & Nuncii, ut præfertur, faciendam, in termino supra expresso debitam paritionem, eo ipso suspensionem prædictam incurrisse; ac proinde statim elapso termino hujusmodi eos omnes, & singulos nullam omnino in materiis ad Sanctum Inquisitionis Officium quomodolibet pertinentibus jurisdictionem habuisse, nec de præfatis habere: & propterea omnia, & singula per eosdem gesta post incursum dictæ suspensionis, & si que forsitan per eos in posterum agerentur in Materiis Sancti Officii hujusmodi ob defectum Jurisdictionis penitus, & omnino nulla, & invalida fuisse, & esse, ac fore tenore præsentium declaramus.

Ob inobedientiam Inquisitores omnes declarantur suspensi ab Officio, & eorum acta nulla.

Clausula.

§.2. Decernentes easdem præfatas literas & in eis contenta quacumque, etiam ex eo, quod præfati, aliive quilibet cujuscumque status, gradus, ordinis, præminentia, & dignitas existant, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, nec cause propter quas ipse præfates emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis lationis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliive quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuaque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retrahari, moderari, limitari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quod-

cumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præfatas literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliive quolibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere: ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in literis prædictis volumus non obflare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus literis habetur, si forent exhibite, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Maji MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXII.

Permittitur Superiori Generali Presbyterorum Missionis facultas condonandi ex Assistentium consensu novæ probationis tempus, reddendique jus electionum, & prærogativas redeuntibus ad Congregationem.

Dat. 5. Junii 1679. An. 3.

Constitutiones hujus Congregationis confirmatæ fuerunt a Clem. X. Const. 5., quæ inc. Ex injuncto nobis tom. 7. Const. 13., quæ inc. Alias fel. rec. quæ statutam fuit, a Summo Pontifice, & Superiore Generali duntaxat commutari, aut dissolvi posse, vota in eadem Congregatione emissa.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Superior Generalis, & Presbyteri Congregationis Missionis, quod, cum alias, videlicet die 18. Januarii 1673. in Conventu Generali dictæ Congregationis, qui tunc habebatur, propositum fuisset dubium: An eos, qui post emissâ votæ egressi ex eadem Congregatione, cum dispensatione postea regrediuntur, oporteat denuo biennium in Seminario, antequam ad vota admittantur, nullo excepto, exigere. Præterea: Utrum anni ad deputaciones, atque electiones requisiti a votis posterioribus tantum in fine biennii post regressum emissis computandi essent, nulla habita ratione prioris temporis in Congregatione ante egressum transacti: remissa fuit ad diem sequen-

Species facti.